



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio septima. Vtrum angelus cognoscat singularia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



visum, & aliud visibile, propter quod eis approximatissimum sequitur visio a quoquoque sit effectiva. Et similiter est de aliis sensibus. Sic tam res spirituales ut alii angeli qui corporales ut caelum & astra, & huiusmodi, quae secundum se sunt praesentes intellectui alicuius angeli propter ordinem & gradum, quae angelus habet inter partes uniuersae scilicet intuitu cognoscuntur ab angelo absque alio representariuo. Et in hoc cognitio angelica continet modum & perfectiorem nostrae cognitionis sensitivae, & plus, quia non extendit solum ad accidentia (ut sensus) sed etiam ad quidditates substantiarum. Sicut etiam praesentato intellectui nostro aliquo obiecto per actum sensitivae partis sit intellectio a quoquoque illa sit effectiva, & ex illo cognitio intellectus noster alia intelligit propter habitudinem causae ad effectum, vel e contrario, & sic de aliis habitudinibus, sic angelus ex his quae intuitu cognoscit per ipsarum rerum actualem praesentiam, cognoscit alia propter habitudinem quae habent ad prima cognita, siue illa habitudo sit causae ad effectum siue alia, & in hoc assimilatur nostrae cognitioni intellectui. Sed eam excedit in hoc quod intellectus noster cognoscit unum per aliud discurrendo de noto ad ignotum. Intellectus vero angelicus, licet cognoscat unum per aliud, non tamen discurrendo de noto ad ignotum. Sed statim & simul tempore utrunque cognoscit, licet unum per aliud.

22 Ad primum argumentum dicendum quod essentia angeli non representat ei omnes alias res ab angelo cognoscibiles, sed hoc non est propter limitationem angeli ad certum genus, et ad certam speciem, sicut bene probatur argumentum factum in oppositum. Sed hoc est quod ipsa non est causa aliorum sub se, quemadmodum essentia divina est causa omnium, sicut prius declaratum fuit libro primo, dist. 35. q. 1.

23 Ad secundum dicendum quod concludit aequaliter quod angelus non cognoscit alia a se per species, sicut concludit quod non cognoscat per essentiam suam, & utrumque concessum est. Quod autem ita sit patet, quia si sint species in angelo, per quas represententur ei res intelligibiles, quum ille species sint semper ei praesentes, videtur quod semper intelligat omnes res, quarum habet species, sicut si representarentur ei per suam essentiam. Nec valet si dicatur quod angelus potest vti vna specie, & non altera, & quandoque nulla quum sit substantia volens & libera, quia idem posset dici de essentia sua, quod non videretur ea ad representandum res, nisi quando vellet, quorum neutrum est verum, quia licet in potestate hominis vel angeli sit quoadque applicare, vel non applicare ea, quibus applicatis necessario sequitur actio (verbi gratia) in potestate hominis vel angeli, est applicare ignem super, tamen non est in potestate eorum, quin facta applicatione sequatur actio. sic cum ad praesentiam illius quod sufficienter representat obiectum potentiae cognitivae sequatur necessario cognitio, non est in potestate angeli quod non cognoscat illud quod ei representatur, sicut non est in potestate hominis, quod representato obiecto in phantasmatate intellectus non intelligat. Et ideo siue res intelligibiles represententur angelo per substantiam suam, vel per species idem sequitur: nos tamen dicimus quod per neutrum eorum eis representantur.

2. d. 36. q. 3

24 Ad tertium dicendum quod nunquam fuit intentio auctoris de causis, quod in angelo vel in intelligentia sint species, de quibus alii loquuntur, sed cum ipse fuerit platonici posuit tales formas esse in intelligentiis quales ideas posuit Plato, quas etiam quoadque vocavit formas. Plato autem secundum veritatem vocavit ideas cognitiones rerum, vel res ut cognitas, & non aliquas formas intellectui inherentes, vel per se subsistentes, sicut fabulose imposuit ei Aristoteles, & tales formas, hoc est rerum cognitiones dicit auctor de causis esse in intelligentiis.

25 Per idem patet ad quartum, quia secundum Dion. autem geli illuminatur rationibus rerum & cognitionibus earum, quia ipsa cognitio est earum illuminatio.

26 Argumentum in oppositum bene probatur quod essentia angeli per hoc quod est limitata ad genus, & ad speciem non impeditur quin possit alias res representare, quia cum inter res diuersorum generum sit certa habitudo, vna potest per aliam representari. unde & accidentia magna parte consistunt ad cognoscendum quod quid est (ut dicitur primo de anima) veruntamen quod angelus cognoscit perfecte & di-

functio omnes res naturales, spirituales & corporales ad rationem distinctam & perfectam representationem non sufficit essentia angeli, quia non continet alias res distincte nec formaliter, nec virtualiter cum non sit eorum causa, sicut essentia divina est causa omnium.

QUESTIO SEPTIMA.  
Vtrum angelus cognoscat singularia.

Thom. 1. q. 57. ar. 2.

AD tertium sic proceditur. Et arguitur quod angelus non cognoscat singularia, quia infinitum secundum quod infinitum sit ignotum, ut dicitur 3. Phys. sed singularia sunt infinita saltem successivae, ergo sunt angelis ignota.

1 Item angelus alia a se per eorum praesentiam cognoscit (ut dictum fuit prius in praecedente quaestione) sed aliqua singularia saltem futura non possunt esse praesentia angelo, ergo non sunt ab eo cognita.

2 Ad idem est quod communiter allegatur ex dicto Boetii, quod singulare est dum sentitur, vniuersale dum intelligitur, sed in angelo non est cognitio sensitiva, ergo non cognoscit singularia.

3 IN CONTRARIUM est, quia cognitio angelica perfectior est quam nostra, sed nos cognoscimus singularia, ergo incognitens est dicere quod angeli non cognoscent ea.

4 Item operationes sunt singularium, & circa singularia, sed angeli habent circa nos operationes & actiones custodiae & administrationis secundum illud Psal. Angelis suis Deus mandavit de te &c. Et ad Hebr. 1. cap. Omnes sunt administratorum spiritus, & in ministerium missi: & hoc non faciunt, nisi mediante cognitione, ergo cognoscunt singularia.

5 RESPONSIO. Duo sunt quae videntur facere difficultatem circa quaestione istam. Primum est, quia videtur aliquibus quod primum cognitum ab intellectu sit vniuersale, quod se habet per indifferetiam ad plura singularia, propter quod dubium est qualiter cognitio vniuersali cognoscatur determinate hoc singulare vel illud. Secundum est, quia singularium quaedam sunt necessaria, & quaedam contingencia, & quaedam praesentia, & quaedam futura, & futurorum quaedam dependent ex causis pure naturalibus, quaedam vero dependent ex libero arbitrio, in toto vel in parte: de quorum omnium cognitione non videtur quod possit eadem ratio assignari.

Tho. 1. q. 85. ar. 1. ad. 1. & arg. 3.

6 AD tollendum ergo haec duo dubia, advertendum est quantum ad primum, quod primum cognitum ab intellectu non est vniuersale, sed singulare. Quod patet primo, quia primum obiectum, & omnis per se conditio obiecti praecedit actum potentiae. Potentia enim per suum actum non facit suum obiectum, sed supponit, sicut visus quoad actum videndi praesupponit colorem. Sed vniuersale vel conditio vniuersalis non praecedit actum intelligendi, imo fit per actum intelligendi, eo modo quo potest sibi competere fieri, esse enim vniuersale non est aliud quam esse intellectum absque conditionibus singularitatis & indiuiduatio nis, ita quod esse vniuersale est sola denominatio obiecti ab actu sic intelligendi, sicut dictum fuit prius libro primo, dist. 3. q. 5. ergo vniuersale non est primum obiectum intellectus, nec vniuersalitas est eius conditio per se, & ita primum intellectum non est vniuersale.

7 Si dicatur quod esse vniuersale non est esse sic intellectum, imo praecedit omnem intellectione, quia secundum commentatorem, intellectus agens facit vniuersalitate in rebus, & eius actio praecedit intellectiorem, saltem ordine naturae. Non valet, quia ut visum fuit libro primo, scitum est intellectum agentem ponere, & frivolum est dicere quod vniuersalitas fiat in rebus, quia vniuersalitas non potest esse in rebus, sed solum singularitas. Et si intellectus agens esset aliquid, & aliquid ageret, illud semper esse unum numero, & singulare, & non vniuersale.

d. 3. q. 5.

8 Et si dicatur quod intellectus agens non facit vniuersale, nisi quia cum phantasmatate causat speciem in intellectu, quae representat rem in vniuersali: Non valet, quia probatum est supra, quod nulla species est in intellectu, quae representat ei suum obiectum.

Tho. 1. q. 85. ar. 1. ad. 4. vide Cuius



10 Itē omne reale repræsentatiuum, quod repræsentat naturaliter aliud, repræsentat ipsum secundum conditionem eius realem. Sed talis species si esset & aliquid repræsentaret, repræsentaret ipsum naturaliter, ergo repræsentaret ipsum, quantum ad eius conditionem realem. Sed esse vniuersale non est conditio realis, sed rationis, ergo talis species non repræsentaret vniuersale.

11 Itē in potentiis ordinatis, vbi terminatur actus prioris potentie, ibi incipit actus posterioris, sed sensus & intellectus in nobis sunt potentie ordinatæ: ergo vbi terminatur actio sensus tanquam prioris potentie, ibi incipit actio intellectus. Sed actus sensus terminatur ad singularem, ergo à singulari incipit actus intellectus.

12 Itē vniuersale est vni per abstractionem à multis, & de multis, de quibus dicitur, & in hac abstractione singularia, à quibus fit abstractio, habent rationem quasi termini à quo, & vniuersale ratione termini ad quē. Sed terminus à quo, præcedit terminū ad quē, ergo intellectus abstrahens prius intelligit singularia, q̄ vniuersale. Et ad hanc intentionem dicit Aristot. 1. de anima, quod animal vniuersale, aut nihil est, aut posterius est suis singularibus.

13 Itē si intellectus noster nō intelligeret prima intellectione singulare hoc esset, aut quia non repræsentaretur ei, aut quia nō posset, aut quia non vellet. Primum nō potest dici, quia prima representatio quæ fit intellectui nostro fit per phantasma quod est representatiuum rei singularis, & sine ea intellectus nihil potest de nouo intelligere. Nec secundum, quia cōstat q̄ potētia intellectus nostri se extendit ad cognitionem singularium, alioquin de eis nō disputaremus, nec aliquid faceremus per liberū arbitriū. Cum factiones sint singulariū, & circa singularia. Nec tertium, quia velle sequitur cognitionē. Si ergo intellectus vellet nō intelligere singularia, vel nollet intelligere ea, sequeretur q̄ præcognosceret ea, & sic sequeretur oppositum positi. Relinquitur ergo quod intellectus noster prima intellectione intelligit singulare.

14 Itē patet specialiter secundū alios qui ponunt q̄ intellectus per se mouetur ab obiecto, quia illud per se & primō intelligit quod per se & primō mouet intellectum ad intelligendum. Mouet enim causandū cognitionē sui prius & principalius quā alterius: Sed singulare primō & per se mouet, & nō vniuersale. Quia actiones sunt singularium, & non vniuersalium, ergo singulare primō & per se intelligitur, quod concedendum est quicquid senserit, vel dixerit Aristot. per verba obscura & inuoluta, quæ ponit. 3. de anima.

15 Item quicquid esset de intellectu nostro, tamen de intellectu angelico oporteret dicere q̄ directē & per se intelligat singularia, quia vnica cognitio angeli, quæ est in intellectu, efficacior est q̄ nostra duplex cognitio, sensitua videlicet & intellectiua, vt dictum fuit prius. Sed constat q̄ nos primō & directē cognoscimus singularia per cognitionem sensituiam, quæ est prima omnium cognitionum nostræ intellectiue, ergo cognitio intellectiua angeli quatenus comprehendit perfectionem nostræ cognitionis sensituiæ est per se & directē singularium. Et cōfirmatur, quia illud quod magis habet de entitate, magis est cognoscibile, sed singularia plus habent de entitate q̄ vniuersalia, ergo magis sunt cognoscibilia. Sed ex parte virtutis cognituiæ ipsius angeli non potest esse defectus, cum ipsa sit perfecta, ergo angelus cognoscit prius & perfectius singulare quā vniuersale: & sic exclusum est primum dubium.

16 Quantum ad secundum est sciendum quod singularia se habent in duplici differētia, quædam enim dependent, quantum ad suum esse & fieri solum ex causis naturalibus, quædam autem dependent vel quantum ad esse, vel quantum ad fieri ex libe. arb. Singularia autem quæ dependent solum ex causis naturalibus si sint præsentia cognoscuntur infallibiliter ab angelo, nec est alia causa querenda, nisi quia sunt ei præsentia. Sicut nō est querenda causa quare visus percipit colorē sibi præsentē, & auditus sonum. Si vero sint præterita vel futura cōtingentia vel necessaria adhuc cognoscuntur infallibiliter ab angelo per hoc q̄ talia sunt præsentia cognitioni angelicæ, nō quidē in se sed in suis causis naturalibus, & angelus perfectē cognoscit totū ordinem causarū naturalium vniuersi,

quod patet sic, sicut à causa necessaria infallibiliter sequitur effectus, & in ea cognoscitur quid fit, & an sit, sic à causa contingente ei impedibili si nō sit impedita infallibiliter sequitur effectus & in ea cognoscitur quid fit & an sit. Cum igitur angelus cognoscat perfectē oēs causas naturales necessarias & contingentes seu impedibiles, & omnem causarum habitudinem ac per hoc sciat quæ causa aliam impedit vel nō impedit, manifestum est quod per hoc cognoscit oēs effectus purē naturales necessarios & contingētes quid sint, & an sint, siue sint præteriti siue presentes vel futuri. Istud autē plenius deductū fuit lib. 1. dist. 38. q. 2. quoad cognitionem diuinā, & idem est de cognitione angelica quantum tangit ad propositum.

17 De singularibus autē quæ vel quantum ad esse vel quantum ad fieri dependent à libero arb. est maior difficultas circa quā sunt duo consideranda. Vnum est quod talium singularium quædam sunt futura, quædam præterita, quædam præsentia. Aliud est q̄ libe. arbitrium reperitur in deo & in angelis & in nobis. Futura autem quæ ex solo libe. arb. diuino dependent, nō possunt ab angelis cognosci quid sint vel an sint nisi per reuelationem, de his enim sunt illuminationes vt patet inferius, vnde ministeria gratiæ (sicut incarnationē Christi & similia) nō cognouerūt angeli à principio nisi quibus reuelatum est, & qui de hoc illuminati fuerūt. Et causa est quia rationes talium nullo modo existerent in causis naturalibus sed solum in mente diuina quæ sibi soli plenissime nota est, futura autem quæ dependent ex libe. arb. angeli potest angelus cognoscere sicut & vnusquisq̄ suam affectionem cognoscit & ea quæ per affectionem seu voluntatē vult producere, quæ autē dependent ex libe. arb. alterius angeli vel nostro nō potest angelus per certitudinē cognoscere nec in se cum nondū sint, nec in causis suis, hoc est in affectio ne alterius angeli vel nostra anteq̄ istæ affectiones sint in angelo vel in nobis per eandem rationem.

18 Sed postquā in affectione alicuius angeli vel in nostra est actualiter velle facere aliquid in futuro: Alius angelus potest hoc præcognoscere inquantū potest cognoscere nostrā affectionē vel alterius angeli, qualiter autē & quantum possit vnus angelus cognoscere affectionem alterius angeli vel nostram dicemus inferius dist. 3. q. 5.

19 Quæ autē sunt iam præterita vel præsentia per libe. arb. diuinā facta & sunt supernaturalia (vt incarnatione) nō puto q̄ possint cognosci ab angelo quid sint vel an sint nisi per reuelationē. Et est eadē ratio quæ prius, quia rationes talium nullo modo sunt in causis naturalibus, vnde nec christus agnitus est à demonibus nisi per reuelationē vel per aliquam coniecturā ex miraculis & operibus eius sumptā, quantum enim cognoscerent humanitatē Christi, tamen quod ei esset vnita diuinitas nescierūt per certitudinem. Quæ autem nō sunt supernaturalia sed infra naturam (vt opera nostra) vel angelica cognoscuntur ab angelo per certitudinē ex eorū actuali præsentia. Cū enim talia sint à nobis cognoscibilia per sensum & intellectū, multo fortius possunt cognosci per angelum cuius cognitio vnica existens perfectior est omni cognitione nostra tam sensitua quā intellectiua.

20 Ex his patet qualiter sit intelligendū verbū Isidorī quod ponitur infra dist. 7. scilicet q̄ dæmones (& idē est de omnibus angelis) vigent triplici acumine sciētiæ, subtilitate nature, experientia temporū, reuelatione superiorum spirituum. subtilitate quidē etenim nature cognoscunt effectus in suis causis & causas in effectibus. Experientia vero temporū cognoscunt effectus præsentis qui in suis causis nullam præhabēt determinationē vt sunt effectus nostri libe. arb. Per reuelationē autem cognoscunt effectus supernaturales.

21 Ad primum argumentum dicendum quod quodlibet singulare est secundum se finitū quantum successio singulariū possit producere in infinitū accipiendo vnū post aliud, & ideo quodlibet singulare potest esse notū angelo. Et oia singularia simul sumpta quia illa sunt finita. Sed ipsa successio singulariū vt potens producere in infinitū nō est nota angelo, nisi sicut in finitū successiue potest esse vel nobis esse notū, videlicet, quid illud est acceptū est

Tho. 1. q. 57. ar. 3.

Tho. 1. q. 56. ar. 1. q. præc.

verē